

Concessit tamen sacra congregatio absolutionem quoad præteritum, celebratis missis quinquaginta; *ibid.*, ad 2, dub.

(3. *De quodam legato implendo non est obligat. justitiæ.*

Legata Pompilii ad pias causas verbis deprecativis relicta, et cum testatoris declaratione *non li obbligo in coscienza*, non esse adimplenda ab hæredibus ex obligatione justitiæ, censuit sacra congregatio, attento præcipue discretivo loquendi modo, seu præceptiva dictione qua usus est testator in legato missarum; in Nullius Sublacen. 16 Maii 1801.

(4. *De translat. legat.*

Legatum pro celebratione missæ quotidianæ a Petruccio relicta in ecclesia Cistercensium Castri Focii applicandum esse negavit S. congregatio novæ extruendæ rurali ecclesiæ S. Mariæ in Alvo: in Amerina Applicationis legati missarum 19 Decembris 1801.

(5. *Legatum relictum sub conditione sacerdotii.*

Legatum pium relictum a sacerdote Dominico Favolini jamjam parochi S. Jacobi Faventiæ, et a Josepho Beralдини possessum, ex voluntate testatoris sacerdotalem ordinem requirere in possessore decrevit S. congregatio, cum præscripserit eidem Josepho præfigi terminum arbitrio episcopi sive ad suscipiendos ordines, sive ad dimittendum legatum. Quod si Joseph in termino ab episcopo præfigendo ad sacerdotium non ascenderit, tunc legatum pium Ludovico Baralдини illius fratri deberi dixit eadem S. con-

gregatio, quæ fructuum restitutionem penitus denegavit, in Faventina Legati 17 Decem. 1825, ad 1, 2, 3 et 4 dub.

(6. *Legati caducit. ob condit. non servatam.*

Constare de caducitate legati Pii Amadori, seu relictæ prælati, incurta a Vincentio Landucci ob initum conjugium, qui dispensationem tantum obtinuerat a SS. a suscipiendo sacerdotio, non autem uxorem ducendi, definiivit sacra congregatio, in Romana 13 Februarii ad 1. dub.

(7. *De implendo legato non obstante temporis intermissione.*

Legatum pium sacerdotis Lucae Dominici pro missa festiva in commoditatem rusticorum qui habitant in Villa di Cinarelli, S. congregatio decrevit reintegrandum esse ad designatam et reparatam ecclesiam S. Christophori, et hæredes Dominici teneri ad restitutionem sortium censuum juxta leges reductionis, et ad reddendam rationem, et docendum de celebratione missarum quoad præteritum, et quoad futurum celebrandas esse tot missas, quot redditus ad manuales. In Ferentina 20 Februarii 1808.

(8. *An, et quæ legata sint adimplenda, quoties diminuenda in casu, etc.*

Eleemosynam missarum deberi ad rationem manualis, et adimplenda esse omnia legata pia, et quatenus, redditus hæreditarii non sufficiant, diminuendum esse legatum relictum capellano. Lunen. Sarzanen. die Sabbati 5 Julii 1728.

Ex Thesauri Resolution. S. congreg. Concilii, tom. IV, pag. 191.

APPENDIX AD V. INFERNUS.

MONITUM EDITORUM CASINENSIVM.

Non ingrati rem lectoribus facturos confidimus, si hanc novissimam de Inferno Appendicem, quæ ad calcem postremi tomi edit. Barbell. exstat, in fine hujus tomi inseramus, ordini et methodo fortasse satius consulturi.

Non pauca minus considerate, ne quid gravius dicam, in superiori appendice, sive novo articulo de inferno, ab ejus auctore, quisquis tandem fuerit, proposita ac tradita sunt, quæ pro instituti mei ratione indicabo, quo facilius caveri a lectoribus possint. Quoniam vero res ipsas persequi non vacat, lectores rejiciam ad clariss. PP. ex ordine Prædicatorum Joannis Vincentii Patuzzi dissertationem *De sede Inferni in terris quærenda*, ac Thomæ Mariæ Mamachii tunc Casanatensis theologi, nunc S. P. Apostolici Magis, libros duos *De animabus justorum in sinu Abrahæ ante Christi mortem expertibus beate*

visionis Dei, quos in his animadversionibus duces sum secutus.

Vox *inferni* cum Genesis cap. xxxvii, vers. 35, tum Numerorum cap. xvi, vers. 30 et 33, *sepulcrum* proprie non significat, ut ex tota orationis serie constat. Cum enim Jacob filium suum Joseph a fera voratum fuisse arbitraretur, existimare non poterat, fore ut in eodem, quo ille, sepulcro conderetur. Core quoque, Dathan et Abiron profunda voragine absorpti fuerunt, non vivi in sepulcrum illati. Vide Patuzzium dissert. cit. par. II, cap. 3, pag. 92, seq. Hinc etsi Calmetus in Dictionario Biblico verb. *Infernus* scribat: « Hoc nomine Scriptura sæpe sepulcrum nominat, in quo defunctorum corpora requiescunt. Mortis filii sui Joseph dolore confectum se *in infernum* abiturum Jacob ingemuit. Core, Dathan et Abiron subito terræ hiatu viventes absorpti sunt in infernum, id est viventes sepulti; » et in comment. in Genesis cap. xxxvii, vers. 35,

verba illa, *descendam ad filium meum lugens in infernum*, sic interpretetur, « id est ad ima terræ, sive in sepulcrum, » et in Numerorum cap. xvi, ad vers. 30, dicat: « Catholici quidem, et e Protestantibus plures infernum hic de sepulcro interpretantur; » tamen in Comment. in Gen. loc. cit., ubi monuit *inferni* nomen usurpári interdum pro sepulcro, vel morte, interdum pro loco ubi animæ post obitum colligebantur, nec raro de loco ubi dæmones et impii in flammis cruciantur, subdit: « Tandem *infernus* est locus ubi justorum animæ Servatoris adventum operiebantur, unde digressæ post ejus resurrectionem ad æternam felicitatem perrexere. Eo se deducendum sperat Jacob post obitum, una cum Josepho filio suo. Limbum appellant nostrates theologi, infernum, et sinum Abrahami veteres patres. » Et in Comment. ad Num. c. xvi, vers. 30, ad verba, *Descenderintque viventes in infernum*, ait: « Non ita sane reputandum est quasi viventes corpore et anima absorpti sint in infernum: sed viva corpora intra terræ sinum condita sunt, animæ vero ad æternos in infernis cruciatus projectæ. »

Jam vero peculiaria nomina quibus infernus sive impiorum carcer in sacris litteris designatur, ut abyssus, lacus, etc., non modo illum determinatum locum esse, verum etiam subterraneum declarant, ut Patuzzius ead. part., cap. 5, et seq. ostendit. Quamvis autem nullum hæc editum ab Ecclesia decretum fuerit, quo quæstionem de inferni sede definiat, tamen sententia de subterranea inferorum sede haud inter adiphoras Christianæ fidei opiniones referenda est, et S. Thomas liberum quidem cuilibet esse censet infernum statuere vel circa terræ centrum, vel in aliis terræ recessibus; at nedum consentit intra terram ipsam locandum esse, sed et id ad doctrinam Fidei pertinere satis aperte significat. Patuzzius dissert. ead., part. I, cap. 5, pag. 20, seq. Quid porro velit S. Joannes Chrysostomus, cum *gehennam extra mundum hunc totum* esse affirmat, demonstrat Allatius dissert. 2, *De lib. Eccl. Græcæ*. Scilicet hoc unum vult, *gehennæ* locum « esse extra hunc locum universi qui habitatur ab hominibus..... nempe in recessu intimo et interno, et inferioribus abyssi, in quibus nulla hominum habitatio est. » Etenim ipse inferos in partibus terræ inferioribus alibi collocat. Patuzzius *ibid.*, part. II, cap. 10, pag. 132, seq. Quamobrem audiendi non sunt qui eundem a communi Patrum sententia Ecclesiæque traditione discessisse jactant. Immerito quoque S. Gregorius Nyssenus, et auctor operis imperfecti in Matthæum, inter illos recensentur qui caliginosam hanc aeris regionem infernum esse opinati sunt, ut ex attenta textuum, qui afferuntur, lectione patet: Patuzzius part. ead., cap. 1, pag. 77. Nec vero sententiæ hujus patronis esse præsidio possunt verba S. Pauli in Epistola ad Ephesios, cap. vi, vers. 2, ex quorum expositione sententia illa profecta censetur. Nam ex verbis Apostoli educitur, aliquos ex

malis spiritibus in caliginoso aere versari; aerem caliginosum esse damnatorum sedem, quam infernum dicimus, non educitur. Adeatur Alphonsus Tostatus episcopus Abulensis Commentariorum in septimam partem Matthæi, quæst. dxv, seq., edit. Venet., anno mdcxv, pag. 291, seq., et paradoxo quinto, cap. 80, edit. Opusculorum ejusdem, edit. cit., fol. 83, vers. et seqq., ubi de loco inferni locisque animarum corpore solutarum agit, atque indicatas de sede inferni opiniones refellit. Confer Patuzzium dissert. cit., part. II, cap. 1, pag. 75, seqq., quo in capite demonstrat locum aliquem certum ac definitum admittere oportere, ubi impii in futura vita puniantur, Brentii figmentum explodit, pluresque de hujusmodi definito locum veterum tum recentiorum opiniones recitat.

Scriptor Anglus, qui infernum in sole collocandum duxit, Swindenius fuit, in Opere Londini anno 1714. Anglico sermone *De natura et loco inferni* in vulgus edito, quod Bionius Anglicanæ Ecclesiæ minister in Gallicam linguam deinde transtulit, et præfatione, ad imperitos lectores magnarum rerum spæ decipiendos, præmissa publicavit. Ejus commentum funditus labefactavit Cl. Joannes Vincentius Patuzzius Ord. Præd. in egregio opere, quod indicavimus, Venetiis an. mdcclxii. impresso, hoc titulo: « *De sede inferni in terris quærenda*, Dissertatio ad complementum operis de futuro impiorum statu, tributa in partes tres, in quarum prima nova refellitur opinio Swindenii doctoris Angli sedem inferni in sole collocantis; in altera communis sententia de sede inferni subterranea defenditur et illustratur; in tertia sensus ac doctrina Ecclesiæ catholicæ de articulo Symboli Apostolici *descendit ad inferos* propugnatur, tum contra Swindenium, tum contra Vossium, Bochartum, aliosque heterodoxos. » Ante Patuzzium alii cum Swindenio pugnam commiserant, de quibus Patuzzius in præfatione dissertationi eidem præfixa, quam lector, si e re sua duxerit hæc nosse, consulat.

Sequitur ut de inferorum in quatuor diversi generis receptacula distinctione paucis agam. Hæc non multorum modo, quemadmodum auctor Appendicis num. 6, scribit, sed omnium fere theologorum, maxime veterum, suffragio comprobata est, atque in copiosiori Christianæ doctrinæ expositione Ven. Roberti Bellarmini, qui deinde S. R. E. Cardinalis fuit, proposita. Quanta autem sit et esse debeat expositionis hujus auctoritas apud omnes Catholicos, liquet ex Clementis VIII et Benedicti XIV Constitutionibus, quas Lucius noster in responsione ad Theologum Roman. cit. Confer. Cl. Mamachium *De Sanctis V. T. ante Christum expertibus visionis Dei*, lib. I, cap. 3, § 1, num. 6, pag. 251, seqq. Catechismus quoque Concilii Tridentini jussu compositus, de quo pluries Mamachus § eod. num. 4, pag. 230, et seqq., tria in inferis diversi generis receptacula esse tradit. Cum enim part. 1, in expositione articuli quinti Symboli num. 2,

docuisset *inferorum* nomine in eo articulo « abdita illa receptacula significari, in quibus animæ detinentur, quæ celestem beatitudinem non sunt consecutæ. » n. 3, subdit: « Neque tamen ea receptacula unius et ejusdem generis sunt omnia. Est enim teterrimus et obscurissimus carcer, ubi perpetuo et inextinguibili igne damnatorum animæ simul cum immundis spiritibus torquentur, qui etiam gehenna, abyssus, et propria significatione infernus vocatur. Præterea est purgatorius ignis, quo piorum animæ ad definitum tempus cruciatæ expiantur, ut eis in æternam patriam ingressus patere possit, in quam nihil coinquinatum ingreditur. Ac de hujus quidem doctrinæ veritate, quam et Scripturarum testimoniis, et Apostolica traditione confirmatam esse sancta concilia declarant, eo diligentius et sæpius parochi disserendum erit, quod in ea tempora incidimus, quibus homines sanam doctrinam non sustinent. Tertium postremo receptaculi genus est, in quo animæ sanctorum ante Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata redemptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, quæ in sinu Abrahamæ Salvatorem expectabant, Christus Dominus ad inferos descendens liberavit. »

Ut autem planius theologorum, qui quatuor in inferis receptacula distincta posuerunt, sententia percipiatur, et Calvinus, Bezæ, Bucerii, atque aliorum hæreticorum in illos convicia facilius refellantur, placet hic referre quæ S. Thomas in supplemento 3, part. quæst. 69, art. 5, et duobus proximis tradit. Igitur S. doctor art. 5, quo in articulo quærit, « utrum limbus idem sit, quod infernus damnatorum », inquit: « Receptacula animarum post mortem dupliciter distinguuntur, aut secundum situm, aut secundum locorum qualitatem; prout scilicet in aliquibus locis pœnas, vel præmia recipiunt animæ: Si ergo considerentur limbus patrum et infernus secundum locorum qualitatem prædictam, sic non est dubium quod distinguuntur; tum quia in inferno est pœna sensibilis, quæ non erat in limbo Patrum; tum etiam quia in inferno est pœna æterna, sed in limbo Patrum detinebantur sancti temporaliter tantum; sed si considerentur quantum ad situm loci, sic probabile est quod idem locus, vel quasi continuus sit *infernus et limbus*: Ita tamen quod quedam superior pars inferni *limbus Patrum* dicatur: Existentes enim in inferno secundum diversitatem culpæ, diversam sortiuntur pœnam: Et ideo secundum quod gravioribus peccatis irretiuntur damnati, secundum hoc obscuriorem locum et profundiorum obtinent in inferno; unde et sancti Patres, in quibus minimum erat de ratione culpæ, supremum et minus tenebrarum locum habuerunt omnibus puniendis. » Tum articulo 6 expendens utrum limbus puerorum sit idem quod limbus Patrum, hæc habet: « Limbus Patrum, et limbus puerorum absque dubio differunt, secundum qualitatem

præmii vel pœnæ: pueris enim non adest spes beatæ vitæ, quæ Patribus in limbo aderat; in quibus etiam lumen fidei et gratiæ refulgebat; sed quantum ad situm, probabiliter creditur utrorumque locus idem fuisse; nisi quod et requies beatorum Patrum adhuc erat in superiori loco quam limbus puerorum; sicut de limbo et inferno dictum est. » Præmiserat autem in argumento sed contra hæc: « Sicut actuali peccato debetur pœna temporalis in purgatorio, et æterna in inferno: ita et peccato originali debeatur pœna temporalis in limbo Patrum, et æterna in limbo puerorum: Si ergo infernus et purgatorium non sint idem, videtur quod nec limbus puerorum, nec limbus Patrum sint idem ». Ita quidem respiciens ad illud, quod in commentario in lib. iv, sent. dist. 21, quæst. I, art. I, in resp. ad secundam quæstionem constituit. Nam de loco purgatorii agens: « Dicendum, ait, quod de loco purgatorii non invenitur aliquid expresse determinatum in Scriptura, nec rationes possunt ad hoc efficaces induci: tamen probabiliter, et secundum quod consonat magis sanctorum dictis, et revelationi factæ multis, locus purgatorii est duplex. Unus secundum legem communem; et sic locus purgatorii est locus inferno conjunctus, ita quod idem ignis sit, qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat: quamvis damnati, secundum quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sunt. Alius est locus purgatorii secundum dispensationem, et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum pœna innotescens, per suffragia Ecclesiæ mitigaretur. Quidam tamen dicunt quod, secundum legem communem, locus purgatorii est ubi homo peccat; quod non videtur probabile, quia simul potest homo puniri pro peccatis quæ in diversis locis commisit. Quidam vero dicunt quod puniuntur supra nos secundum legem communem, quia sunt medii inter nos et Deum quantum ad statum. Sed hoc nihil est, quia non puniuntur pro eo quod supra nos sunt, sed pro eo quod est infimum in eis, scilicet peccatum. » Postremo articulo. « Receptacula, inquit, animarum distinguuntur secundum diversos status earum: anima autem conjuncta mortali corpori habet statum merendi; sed exuta a corpore, est in statu recipiendi pro meritis bonum vel malum: Sic ergo post mortem, vel est in statu recipiendi finale præmium, vel est in statu quo impeditur ab illo: Si autem est in statu recipiendi finale retributionem, hoc est dupliciter: vel quantum ab bonum, et sic est *paradisus*; vel quantum ad malum, et sic, ratione actualis culpæ, est *infernus*; ratione autem originalis est *limbus puerorum*; si vero est in statu quo impeditur a finali retributione consequenda, vel hoc est propter defectum personæ; et sic est *purgatorium*, in quo detinentur animæ, ne statim præmium consequantur, propter peccata quæ commiserunt; vel propter defectum naturæ, et sic

est *limbus Patrum*, in quo detinebantur Patres a consecutione gloriæ propter reatum humanæ naturæ, qui nondum poterat expiari. » Hæc S. Thomas, quæ theologo de controversia ista acturo præ oculis habenda sunt, ut quid tanquam certum, quid tanquam probabile scholasticorum principes in hac quæstione proposuerint, meminerit; nec tot receptaculorum distinctionem, ut commenticiam, rejiciat, nisi antea auctoritatis ac rationis momenta, quibus ad ea admittenda Scholastici adducti sunt, accurate expendit, id si fecisset auctor appendicis, generatim non pronuntiasset hanc distinctionem a scholasticis excogitatam, « quin in Scripturis et apud antiquos Patres vel leve fundamentum habuerint tot astruendi veluti omnino distinctas inferorum sedes. »

Etenim limbus sanctorum Patrum Veteris Testamenti in visceribus terræ situm, et a carcere, ubi inextinguibili igne damnatorum animæ simul cum immundis spiritibus torquentur, longo intervallo divisum, ex pluribus sacrarum Scripturarum ac veterum Ecclesiæ Patrum testimoniis plane constat. Vide Patuzium dissert. cit., part. III, cap. 7 et 8. Accedit perpetua Ecclesiæ universæ consensio, de qua Patuzius, ead. part. cap. 1 et seqq., et Mamachus lib. I, De sanctis Vet. Test. ante Christum expertibus visionis Dei, cap. 3, pag. 206 seqq. Itaque Mamachus idem pag. 772, not. 2. Auctorem appendicis jure ac merito reprehendit scribens: « Ex his quæ libro superiore atque etiam secundo disputavimus, intelligit lector quod dignus reprehensione sit is qui adnotationes seu appendices ad *Bibliothecam Lucii Ferraris* scripsit, ediditque Romæ. Is enim tom. IV, ad v. *Infernus*, n. 7, Append., p. 174, edit. Rom., an. 1759, etsi Patrum sanctorum Veteris Testamenti animabus, ante Christi descensum ad inferos, visionem Dei non attribuerit; iisdem tamen Augustini locis abusus, quibus post Protestantes abutuntur *Cadonici*, contra communem Catholicorum consensionem, *incertum* scribit esse, *num Abraham sinus in terræ visceribus fuerit*. *Pearsonium*, credo, aut auctorem historiæ Symboli, qui e numero fuerunt Protestantium, consuluerat, ac sequi non dubitaverat. » Mox enim tacitis horum nominibus, ne quid ab aliis accepisse videretur, eorumque animadversionibus in epitomen redactis, ab Ethnicis ad Judæos, paulo ante Christi tempora sententiam de locis inferis, in quibus justorum animæ agerent, propagatam, hypothesisque loco adhibitam statuit; indeque ad Christianos doctores, præsertim Justinum, Irenæum, Tertullianum, aliosque antiquos Patres, qui sanctorum beatitudinem ad finem usque mundi differendam opinabantur, » hypothesis eandem fuisse traductam; usurpatam deinceps a S. Hieronymo, aliisque Patribus, qui Christi animam ad inferos descendisse crediderant, ut, disrupto antiquo carcere, animas sanctorum Patriarcharum in celestem patriam perduceret; » probatamque demum

« fuisse scholasticis limbum SS. Patrum in inferis astruentibus. » Ita ille, quam Patres omnes, eo confitente, quamque theologi deinceps scholastici universi secuti sunt, sententiam, ex ethnicorum somniis manasse commentus est, utque incertam rejicit; eoque se nomine effugere speravit reprehensionem, quod *hypotheseos* eam appellavit vocabulo. Quasi vero verbis versanda theologia sit, non iis, quæ verbis sint subjectæ, sententiis! Sed maneat Patrum theologorumque doctrina necesse est: ea vero manente, evanescent oportet somnia tot appendicum auctoris, qui se a Patribus theologis que dissidere confiteatur. « Sed Ecclesiæ judicio, inquit, nil certi definitum habemus, atque intacta fide, Abraham sinus alibi quoque stabiliri potest extra cælum empyreum. Ego vero ut ferri hæc possint, non video. Tunc, mi homo, in rebus *incertis* impune numeres quod Ecclesiæ omnes orthodoxæ ubique terrarum, pusillos etiam neophytosque docent suos? quod Ecclesia Romana catechismo Romano complexa est? quodque professionibus quoque fidei ad patriarchas atque antistites, qui ejus communionem expetebant, missis comprehendit? Vide quæ scripsi lib. I, hujus operis, cap. 2 et 3. » De testimoniis S. Augustini accuratissime, ut solet, disputat idem Mamachus lib. II, operis ejusdem cap. 1 et 2. Sententiam autem de inferni receptaculis, ad quæ omnes sive justorum sive impiorum animæ a corporibus solutæ abirent, Hebræos, non a Græcis paulo ante Salvatoris nostri tempora accepisse, sed longe antiquiori traditione, ostendit Patuzius dissert. cit., part. II, ubi cap. 2, communem hæc de re totius antiquitatis consensum expendit; et quam firmam inde ad catholicæ Ecclesiæ doctrinam confirmandam argumentum ducatur, demonstrat. Parte vero prima cap. 3, evincit quam falso Swindenius alique scriptores affingant primitivæ Ecclesiæ fidelibus, ac Patribus absurdam Cosmæ Ægyptii de cæli ac terræ figura opinionem; productisque textibus Clementis Romani, Justinus, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Eusebii, Athanasii, aliorumque, tellurem ab ipsis sphericæ figuræ, ac planetarum instar in aere suspensam fuisse habitam confirmat.

De limbo puerorum hoc brevi dico, theologos, qui ipsum a damnatorum carcere distinguendum putarunt, ideo putasse, quod pueros, cum solo peccato originali ex hac vita decedentes, pœna sensus non esse torquendos existimaverunt, quemadmodum ex testimoniis S. Thomæ num. 5, descriptis patet; ut autem eos sensus pœnæ obnoxios non futuros arbitrentur, non modo pluribus rationibus, sed etiam nonnullis S. Scripturæ ac veterum Patrum locis sunt adducti. Consulatur S. Thomas in comment. in *ib. II Sentent.*, dist. xxxiii, qu. 2, art. 1, et in quæstionibus disputatis de malo q. 5, art. 2. Ven. Cardinalis Bellarminus de amissione gratiæ, et statu peccati lib. VI, cap. 4. Controvers., tom. IV, pag. 186, seq. atque.

ut alios omittam, Cl. Joannes Franciscus Bernardus Maria de Rubeis Ord. Præd. in tractatu De peccato originali c. 73, pag. 413, seqq. Neque vero ad hanc opinionem labefactandam satis est afferre illa SS. Scripturarum, conciliorum, Patrumque testimonia, quæ auctor appendicis n. 8, producit, aut citat, nisi illud una ostendatur, eadem commode exponi, uti a S. Thoma, atque aliis

exposita sunt, non posse, quod nemo hactenus ostendit.

Quod spectat ad purgatorium, etsi demus eodem igne, quo impii torquentur, piorum animas, quibus aliquid luendum superest, expiari, inde tamen non efficitur purgatorii locum ab impiorum carcere distinctum non esse. Utrumque enim consistere potest, auctore S. Thoma, cujus verba n. 6, attuli.

FINIS TOMI QUARTI.



